DE VI MUSICES IN AFFECTIONIBUS CORPORIS HUMANI DISSERTATIO...

Victor De Favari

25

DE

VI MUSICES

IN AFFECTIONIBUS CORPORIS HUMANI

DISSERTATIO INAUGURALIS

HABITA

IN C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD SUMMOS IN MEDICINA

HONORES RITE ASSEQUENDOS

A

VICTORE DE-FAVARI

TARVISINO

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

MDCCCXXX

MARCO ANTONIO DE-FAVARI

PATRUO AMANTISSIMO

NEPOS OBSERVANTISSIMUS

Pene innumera beneficia in me tua quum mente rependam, nequeo quin me totum quaquaversus Tibi devinctum persentiam. Asseveranter cuique affirmare possum, me nullo modo debitioni tantae habita ratione, sat gratum usquam animum ostendere posse. Nihilominus summa Tui erga me benevolentia leve hoc quodcumque sit mei ingenii specimen recipiat, obsecro ; et paternus amor Tuus id quod juveniliter dictum est, excusatum faciat, gratique veluti animi pignus, et officiorum tenuem remunerationem intueare velis, deprecor atque exoro.

Dabam Patavii die secunda mensis Maii anni MDCCCXXX.

12

Nihil est tam cognatum mentibus nostris, quam numeri atque voces, quibus et excitamur, et incendimur, et lenimur et languescimus, et ad hilaritatem et ad tristitiam saepe deducimur.

Cicer. de Orat. Lib. III.

Quicumque attenta mente hominis desideria atque cupiditates examinaverit, inatum ipsi stimulum esse cognoscet ad vitam beatam atque commodam quaque ratione sibi praeparandi. Quem finem ut consequatur, alter animi voluptates quaerit, alter corporis delicias. Sunt vero et priorum et posteriorum quaedam, quae quemadmodum corpus in animum influere videamus, simili ratione in se vicissim redundant. Neque inficias quisquam ibit, animi tranquillitatem corporis quoque statum gratum posse sustinere, et corporis sanitatem, atque firmitatem animi beatitudini non parum opitulari. Quae cum ita sint, cognoscimus quoque vicarium nexum, quem certae corporis voluptates in animi affectus exerunt, quos excitare, alere, deflectere, atque compescere possunt. Ut vero sensationes diversae animi passiones provocant, sic aliae passio-

nes provocatae easdem sensationes modificare valebunt. Jam vero impressiones quae in sensus fiunt, certe sensationibus diversis originem praebent. Ergo sensuum regimen conveniens sensationes quoque et exinde passiones flectere valebit. Inter omnes autem sensus externos ille vel maxime sensationibus diversissimis januam patebit, qui symphoniarum modulationes mirabiles suscipit. Exinde sensationibus variis per aures systemati nervoso communicatis, influxus in varios corporis motus atque passiones excitandas tribui debebit. Exinde Musices in organismum humanum, et sanum et morbosum, influxus explicabitur, quod in decursu hujusce Dissertatiunculae sum probaturus.

Quisque hominem studet, et aequa trutina libret physicam ipsius constitutionem et phsychicam, intellectu statim capiet rationem, quae illam et hanc inter viget; tali quandoque pacto ut ab hac illa pendere videatur.

Hoc est cur saepissime occurrit, organicis affectionibus laborantes quolibet corporis actu corporis passionem exprimere. E contra ab animi pathematibus corporis affectiones procreari, quae in diuturnum rebelles perdurant, observatio docet, experientia confirmat.

Medica scientia quae in illud praecipue incumbit, ut bona semper consequatur, a quovis nos circumstet, utilitatem eruere curat, quavis ex parte levamen trahere exsudat pro humanitatis beneficio, moventes causas inquirit, illas quae morbum servant, detegit, et primas quum penitus deleat, hasque radicitus obtruncet, acrioribus morbis finem sistere conatur.

Inter innumera, quibus hanc dum vivit homo vitam, fruitur sensuum suorum ope, pergrandem inter vim voluptatum quas per animi januas sibi licet comparare, Auditus certe exquisitum non minus praestolatur organon, ob quod in amore vita est et deliciis. Attentio quam variis animantium vocibus obtulit ille, diversisque illarum modis, genus juxta et speciem, alienationes ipsarum detexit, diversus prout animae erat status; oppositam quum experiretur impressionem flebilis ad sonitum vocis, querulae, languentis, laetantis; fortiter quum excuteretur a furibunda voce frementi; quum a tenera et ad commovendum apta mulceretur; quum metus lamentationes, terroris ejulatus, cruciatus, horroris, trepidationis ploratus, imbecillitatis vagitus audiret, impressionum et perceptionum discriminatus est varietates, comparationem ipsarum instituit, aptas magis inter se et convenientes uniit, gratumque sibi venit per isthaec diversa jactari, usque dum ex sonitu per se demortuo ac silenti simul cum aliis juncto significantem et vivam sibi fingeret simphoniam et degustaret. Hinc primo in se Harmoniam efformavit, ipsa dein est gavisus, flexilis demum animus ejus illi subjiciebatur.

Post verba et sermonem quibus rationis illationes patefiunt, quique a cogitationibus exponendis immutatur, quemque animi proclivitates moderantur, mihi persuadeo, nihil in mundo adesse in quod melius omnia conveniant, quodque melius in se uniat cuncta, quae sentire homo est potis, quaeque diversa ejus offert vivendi ratio, Musica excepta. Significationem immutat illa vocis juxta intentionem, gradationes juxta varias, secundum uniones, varient prout

sit et modus; nemo ignorat quomodo ipsa nervosum systema et maximum sensorium moderentur; arcta vegetantis et sentientis systematis unio in phaenomenorum vitae productione concurrentium clara gaudet luce. Exinde facili negotio depromitur, actionem quam systema unum agit aut patitur, unionis cum altero rationem alienare, affectum juxta proprium, debere; patet inde quomodo eveniant alio in systemate principiorum alienationes, prout vigentis rationis variat perturbatio. Insuper scimus, quod, quatenus varia sit mutatio ad quam diversa systemata prona sunt, necessario inde derivetur, eorum in motus abnormes proclivitas. Conjunctionem istam qui noverit, facile deducere poterit, quod, cum mutationes unius systematis in aliud redundent, impressiones quoque in uno factae systemate, aliud experiatur, atque sic ex connubio hocce vicario Medicus varia in commodum suum derivare possit.

Quaelibet corporis affectio animum quoque moveat oportet, qui passionem integram universam augebit. Homo qui vitae devincitur amore non levi, considerat libratque momenta cuncta illam destruentia, eamque provehere et servare totis viribus nititur. Quodcumque illam turbare valet, extimescit, atque illius relinquendae ideam horret, pavescit. Exitus continuo trepidus et anxius, ad morborum qui illum vexant, curationem exhibetur, remediorum facultatem ipsam metuit, dum ad scrupulum diligens et sollicitus quodvis in usum traheret, quodlibet omne adhiberet.

Traditur Elisabeth Angliae summum vitae articulum subituram, se coram Musicos jussisse, ut illorum ope atram sui finis ideam depelleret. Quod

si levamen et animi alienatio obtineri potest ab idea quae acriter urget, premit, uti mortis illa est, cur, inquam, majus levamen non poterit erui, dum minus quae instant, calamitates insolescunt?

Etiam statu sano vigente quisque suum moveri animum sentit; est cui frigidus horror per artus discurrit; est qui dulce languet, et se mollius ad gratae excogitationis ideam in deliciis habitam relinquit; est quem tristis moeror, aut lenis tristitia ligat, torquet; est qui gaudet concinnitatem et aptiorem sonituum convenientiam mente prosequi, et totam in progressivis aut regressivis sonitubus animam intendere.

Animus igitur et praesertim attentio a Musica alliciuntur; quis vero non videt utilitatis quantum non haurietur, si propriae oblitum affectionis hominem Medicus faciet, si languentem naturam incitare, et in normalem functionum statum poterit vindicare?

Antiquitus sane Musicam in usum Medicum ductam fuisse cognoscimus; atque hujusce facti historiam inter priscorum temporum obscuras fabulas latitat. Hoc unum fas fuit nobis scire, Pithagoram primum illius Medicinam fecisse. Quod omnino mihi videtur perbelle rationi convenire, quod summus hoc effecerit Philosophus, prout ille, qui humanam propius indolem noverit et naturam. In posterum Teophrastus et Celius Aurelianus phrigia Musica utebantur in medicina facienda morborum, in quorum decursu dolores insaevirent, utpote quia illa prae aliis ad laetitiam perducebat. Nobis sane dolendum est, quod quum Artes cunctae et scientiae barbarorum opera lucem omnem et venustatem a-

misissent, teneri quid et dulcis Musici veteres sciebant, deperditum fuit, neque hoc acquirere possibile fuerit post earum resurrectionem, et quoad bellicum tantum et ferum proprios Musica auxerit progressus. Perutilem in podagra Musices usum diuturni temporis experientia fatetur, et Bonnet ipse se observasse testatur. Galeni diebus in viperarum morsu Musica maximum obtulisse subsidium fertur. Postremis hisce temporibus Desault asserit, se Musica usum fuisse cum utilitate in hydrophobia. Quod si verum est, immaginationis tantam in hoc morbo potestatem esse, ut symptomata saepe moveat ipsius jam morbi, et ex morbo mortis certa imago, certe nemo dubitabit, Musicam ob ingentem in phantasiam influxum, commodissime in hoc morbo in auxilium trahi posse. Haud tamen intelligo, hoc pacto me imaginandi vis filium hunc morbum recognoscere, qui obscurissimus quoad causam proximam et processum, quam celerrime decurrit suumque ad exitum ruit. Quum vero morbus constituatur a materiali perturbatione motuum mollecularum organicarum prima corporis elementa efficientium, illico patet, quod quum Musica normalem cieat motum et rite libratum, quoniam voluptatis menti est; et quum isthaec impressio in nervoso systemate suscitetur, quod impressiones accipit et transfert: evidenter patet, aequilibrium restitui posse in functionibus alienatis etiam materialibus motuum idealium ope, intimum propter nexum qui duo inter magna systemata interest, quae vita componunt et moderantur.

Ratione constat atque experientia remedii vim, cum illa causae morbum moventis, modum servare

debere. Non semper mehercle optime conduceret violentia uti in morbo a forti violentia producto. Hisce in casibus perturbati motus in animali oeconomia vinci debent cunctando, ut ita dicam, et lento gradu, ut a diuturniori remedii usu analoga obtineatur actio, sicut si una vice remedium hocce expertum fuisset. Progressiva mutatio quae obtinetur penes administrationem remediorum, quae melius apta sint statui solido organizato, illationem nobis praestat, apta remedia paullatim ad normam revocare posse motus inordinatos mollecularum viventium, quae impressiones accipiunt, et sensationes relatas excitant et perceptiones, ex quibus notiones atque ideae originem, fulcimentum et unionem educunt. In delirio, in fatuitate, in insania, in mania, in stupiditate, violentae impressiones miros curationis ediderunt effectus. Si repentina notitia laeta, aut tristis animum afficit ita, ut alienationes inferat relativas in existentiae modo vitae, atque in fibrae ipsius textura, ut inde prodeant morbi et mors; Musices quae nihil aliud agit, quam pathemata animo proferre speciei diversae, necessario producere debet matationes quae referantur pathemati incitato et enato. Hoc eo facilius avenire debet quo vehementior patientis est imaginandi vis, quo major attentio exhibita fuit, atque hinc fortior impressio fuerit persentita, et vividior perceptio efformata; ita ut etiam abstractae magis perceptiones, chimaeriferae magis ideae, certae sensationes efficiantur. Luce clarius demonstratum fuit quanta vitae plasticae vis sit in sui ipsius conservatione, et violentus quantum ejus sit renisus in vehementiori depressione. Historia factum nobis offert matrum illarum, quae quum vivos filios ante se vi-

derent quos post Cannense praelium mortuos defleverant, laetitia peremptae sunt. Istiusmodi exempla nobis passim occurrunt in mortalium morali historia pervolutanda; atque omnia functionum intimam unionem testantur, quae animum inter est et corpus, et quomodo unius affectus in alterum influxum maximum exerant. Si imminentis periculi animadversio, si vita in discrimen versetur, si laetitia, terror multoties movere et inducere crisim potis fuerunt rebellium affectionum, quae omnia nihil aliud sunt quam animi pathemata; nihil est cur Musica eosdem gignere non possit effectus in hominis animo, si ab ipsa oppositos diversosque animi status juxta voluntatem exprimi et significari possunt. Aliunde in patulum erit unicuique, quod eo magis et facilius utilitas erui poterit, si morbi causa, etsi proaegumena, ad animi perturbationem, ad moralem affectionem esset tribuenda.

Quamobrem Areteus in melancholia Musica utebatur: Bourdelot in insania, delirio, mania convenire illam judicabat: atque Desault summis laudibus eamdem in phthysi ipsissima extollit. Neque hoc mirum mihi videtur; nam, uti supra dictum est, circulatio sub pathematum decursu et actione, vario modo alienatur; atque hinc quum in phthysi pulmonum organon afficiatur quod circulationi in primis praeest, clare patet, quod sub exhilaranti gaudio attentio allicitur et volubulis animus flectitur, et quum suspendatur veluti in extasi jucundi melos, anxietas illa aufertur, quae hoc cum morbo procedit, quaeque continuo augetur sub excogitatione firma mortis properantis.

Aliis in morbis lenti decursus, in quorum perui-

cacia curationis methodo magis congruae et aptae, effectus sistit morbosae habitudinis fibrae, quae certos motus semel incitatos repetit, viventis fibrae proprietate perbelle a Darwin demonstrata, utilitas a Musicae usu videtur quomodo haurienda sit, eadem illa ratione, qua morbosus processus rebellis servatur et insolens continuat. Etenim per diuturnum tempus quum maximum sensorium ab impressionibus harmoniae per habitudinem distrahatur, vigentis morbi impressiones destrui poterunt, atque interna remedia opitulando, faciliori negotio pathologica conditio et morbi forma auferetur.

Nonnullus autem me rogabit, num tali modo loquendo universale remedium Musicam vellem, aut generalem panaceam, uti quondam Johannes Baptista Porta somniabat. Non solum hunc mihi finem non praecepi, quin immo ne quidem tale consilium mihi in animo fuit. Momenta discriminanda sunt, in quibus de Musica bene licet sperare. Nemo certe ibit inficias, quod ubi agatur de morbo acutissimo, quo perdurante, sensus omnes exquisitiores insurgunt, quamvis sopor secundarius habeatur, Musica male cederet eadem ipsa de causa, cur lux, etsi grata oculis evadat, nihilominus illam ophthalmitide laborantes fastidiunt, effugiunt. Tum cum quoque sensorium maximum morbo deprehendatur, Musica respuenda, utpote quia specialis actio ejus in ipsum irruit et cogitur. Affectiones chronicae vero opportunae magis evadunt in utilitate Musices percipienda (dummodo capitis et aurium praecipue morbos excipias); in ipsis enim intellectus facultates intimius non laeduntur, adeo ut impressiones gratae distingui et degustari non possint.

Indubia res etiam est, majori gaudio et dulcedine affici, qui Musicam calleat prae aliis; illa autem conditione, quod videlicet cognitiones ejus tantae non sint, ut ejus amator cupidus sit; res enim tunc versatur ita, ut effraenis criticus fiat et pulcherrimas partes, vocis unius solummodo sua sententia alienatae causa, fastidit. Quo in casu manifestum compertumque fit, quomodo nimia sensilitas insensibilem efficiat.

Praetereundum insuper non censeo, quod instrumentorum electio aegrotanti committenda, atque partium musicarum, quae aptiores statui ejus noscuntur, et illarum vocis intentionum et vastitatum quae magis ab illo diliguntur. Hisce omnibus, quae quamvis laevia videantur, si animus convertetur, facilius aegrotantis intellectus hallucinabitur, ejus attentio vincietur, atque animus distrahetur ab illo, a quo magnopere opprimitur, cruciatur.

Scio equidem, quod quum Musicam veluti remedium exhiberem et ostenderem, nonnullorum risus movebitur, et illorum praesertim, qui praecipiti judicio deliberant negligenter de convenientia aut absurditate rerum, male institutas juxta ratiocinationes, aut ex eo quia singulare omne vident illud, quod cum male digestis et praeconceptis eorum opinionibus nequit convenire. Ast triumphum praeter qui indoctum supra sapientem extollit, nonne aliqua in veri Medici mente causa existere potest, quae aegrotantis utilitatem ad unguem librare et componere valeat?

THESES DEFENDENDAE.

I.

In Medicina Clinica rite exercenda genuinae sunt inquirendae indicationes, ex illis demum remedia repetenda.

II.

Empirica Medicina interdum fallax; saepe in iisdem morbis contraria; semper incerta.

III.

Defectus et tarditas progressuum scientiae Acusticae causam agnoscunt in male cognita aurium physiologia.

IV.

Aqua inter cutim laborantibus si tussis supervenerit, desperati sunt.